DANIEL,

SEU

VERUS DEI CULTUS
IN ORIENTE RESTITUTUS.


TRAGOEDIA

ACTA
LUDIS SOLENNIBUS

ANNI MDCCI.

IN REGIO
LUDOVICI MAGNI COLLEGIO
Societatis JESU.

Auctore P. GABRIELE FRANCISCO LE JAY
ex eadem Societate.









PARISIIS,
Apud JOANNEM MARIETTE Bibliopolam, viâ Jacobæâ, ad insigne Columnarum Herculis.

M. DCCIII.

CUM PERMISSU.







ILLUSTRISSIMO VIRO

JOSEPHO

JOAN. BAP. FLEURIAU

D'ARMENONVILLE,

ÆRARII GALLICI

MODERATORI.



ON est hoc virtutis fatum, etiam debitis honoribus cum fulget, VIR ILLUSTRISSIME; *ut placere semper, & rapere omnium animos possit in amorem sui. Id ipsum sa-*

tis expertus periculo ſuo eſt celebris ille Daniel, qui prodit hodie in publicum, & tui nominis in umbra lucem affectat.

Erat in eo felix ille raruſque virtutum omnium comitatus, quæ magnos viros & rebus maximis deſtinatos commendare ſolent; ſumma vis ingenii, ſingularis prudentia, mira quædam in adminiſtrandis ingentis Imperii rationibus dexteritas, ſpectatæ integritatis fama, ſincerum Religionis ſtudium. Neque in tanto rei feliciter gerendæ præſidio, vel exerendæ locus induſtriæ, vel potentiſſimi Regis amor & gratia defuerant. Tamen, quod mirum eſt, non potuit Daniel multorum invidiam criminationemque declinare; neque illam, quam meruerat apud omnes obiti ſancte ac ſapienter mu-

neris, post exactum provectioris vitæ cursum, laudem adipisci.

Hinc vero quam læta tibi gratulandi seges exsurgit, VIR ILLUSTRISSIME, *qui in ipso maturioris ætatis aditu ad tantum dignitatis apicem evectus, cum nullam ex illis dotibus, quas olim in Daniele Assyria tota suspexit, quisquam in te desideret; id etiam jamdiu sis assecutus, ut omnium admiratione pariter & amore perfruaris.*

Qanquam ne quis putet, unum hoc esse blandientis fortunæ munus, quod imis æque ac summis gratus & acceptus vivas. Fructus hic candoris tui, comitatis, acerrimi pariter æquissimique judicii, & propensissimæ in unumquemque voluntatis; quibus sic demereris animos, ut te rerum suarum cogni torem omnes

ambiant; nemo triſtis à te, aut tibi non obligatus, etiam cum ſpe fruſtratus eſt ſua, recedat.

Gaude longum tuo illo tam ſingulari bono, VIR ILLUSTRISSIME, *dum tibi certam paternæ virtutis in ſpem filius adoleſcit. De quo ſi tam honorifice jam tum unuſquiſque prædicat, ut te hac beatum prole non dubitet profiteri: Ego qui ſum inter ceteros, præſtantiſſimæ ipſius indolis, felicis ingenii, & maturi ſupra ætatem judicii propior teſtis & admirator; patere, ut impenſius tibi gratuler; & hanc, quam ſors obtulit, ſignificandæ meæ erga te voluntatis occaſionem arripiam.*

VIR ILLUSTRISSIME,

Tibi addictiſſimus, GABRIEL FRANCISCUS LE JAY, è Societate JESU.



PRÆFATIO.

TAM benevole, tam humaniter, quæ de Joſepho tria Dramata non ita pridem dedimus, excepta ſunt; opinor, quia ſuum divinis Litteris argumentum debent; ut novam hanc, quæ Daniel inſcribitur, Tragœdiam ex ſacris codicibus pariter depromptam in lucem prodire paulo confidentius patiamur.

Enim vero jam aſſueſcunt animi magnis ex ſe ſe ejuſmodi ſpectaculis: maxime dum primariæ nobilitatis homines, ipſique adeo Principes, conſecratas ſanctarum

paginarum religione perſonas agere media in aula, nihil ab amplitudine ſuæ conditionis alienum putant. Utinam tam pia conſuetudo poëtas illos dedoceret, qui nihil Theatro dignum arbitrantur, niſi quod inverecundum eſt, & Chriſtianis moribus oppoſitum!

Non fuit quidquam tota retro antiquitate ſolenne aut glorioſum magis religioni veri Numinis, quam Decretum illud quod Darius Medus, procurante Daniele edidit; vi cujus in Oriente cultus Dei, quem ſoli pene Judæi agnoſcerent, imperabatur.

Hinc illius Edicti memor Cyrus, qui Dario deinceps ſucceſſit, & Perſarum Imperium conjunxit cum Babylonico, captivos jam-


diu Judæos in libertatem vindicavit; eiſdemque demum remiſſis in Patriam, Hieroſolymitanam Urbem, ipſumque in ea Templum ut repararent permiſit.

Hujus porro ſanciendi Decreti occaſio ſufficit Tragœdiæ noſtræ argumentum; quod, uti jacet in libro Danielis, ita nulla ſui parte immutatum deſcripſimus.

Darius Babyloniorum Rex unum è Principibus Regni ſui Satrapis Danielem Judæum conſtituerat, eumque Imperio toti præficere ſupremum moderatorem cogitabat; quod ceteros omnes ſapientia longe ſuperaret. Hinc Danielis odio incenſi Satrapæ & in ejuſdem exitium conjurati legem Dario ſurripuerunt, qua, ne per dies triginta cuiquam Numi-

ni, nisi Dario ipsi, precatio fieret, prohiberetur. Posthabito tali Edicto, Daniel solitis Deum precibus non destitit palam obsecrare. Quare violatæ legis apud Darium à Satrapis accusatus, renitente nequidquam Rege, ad Leones damnatur. Unde cum evasisset incolumis, cultum veri Numinis per totum Imperium Edicto solenni procuravit; Rege in Satrapas eandem pœnam decernente.





ACTORES.

DARIUS	Rex Babylonis.
ASTYAGES	Darii Filius.

DANIEL.

GAZABÁR MITHRIDATES	Principes Satraparum.
PHRAORTES	Præfectus domus regiæ.
JOSEDECUS	Danieli intimus.

MILITES.

SCENA

BABYLONE IN PALATIO DARII



ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

DANIEL, JOSEDECUS.

JOSEDECUS.

NAM quis, vel unde pertinax vultu ſedet,
Frontemque, ſolitum præter, obnubit dolor:
Dum læta rident fata, dum placidos dies
Manifeſtus ultro Principis ſpondet favor?
Quid deinde felix ambiat Daniel prece?
Fruſtra nocendi livor injuſtus bonis
Exſtimulet iras; Rege mox uno minor,
Vitæque dominus pariter ac mortis potens
Injurioſas inde ridebis minas.

DANIEL.

Id quæris ? in me lata lex : noſtrum in caput
Fulmen paratum.

JOSEDECUS.

Nempe tam infenſus putas
Darius ut ſit ? hos tibi nectat dolos ;
Titulos inanes, fragile dum impertit decus ?

DANIEL.

Ah ! parce : fraudis ne malæ regem arguas,
Neve execrandæ legis artificem increpes.
Hanc ipſe vel ſi tulerit, imprudens tamen,
Mihi crede, nec quid faceret attentus, tulit.
At gens iniqua, Satrapæ & noſtrum genus
Exoſa, tales jam diu inſidias ſtruit ;
Et vetera quærunt odia vindictæ locum.
Ille, ille, quo me cernis evectum, gradus
Incendit animos : extero natum in ſolo
Nec vana ſuperum monſtra metuentem piget
Dominum vereri. Reliqua quid fruſtra morer
Veſanus unde livor, & virus malum
Crevere : Beli ſacra rituſque impios
Palam revici fraudis ; hinc dolet, hinc furit
Cultus profani tutor, & ſemper novas,

Cupidus nocendi Gazabar quærit vias.
Hinc Mithridatis pariter ambitio impotens
Sperare melius cœpit, & mihi dum timet
Subesse, quem nec ferre potuisset parem,
Statuit nocentem reddere, ut perdat reum.
Ne dubita, amice: paribus utrinque æmulis
Certatur; & quem vincere injustus furor
Nequeat aperto marte, jam oppugnat dolo.

JOSEDECUS.

Te nota Regis gratia & certus favor,
Quid quid minetur hostis, incolumem dabunt.

DANIEL.

Erras, Amice; namque, res quo sunt loco,
Haud me Darius ipse, si salvum velit,
Eripere letho valeat. Hæc Persis sedet,
Medisque regni dura lex; fixum & ratum
Ut esse soleat, Satrapis quid quid semel
Regique placuit.

JOSEDECUS.

Quid Deo occultum vetat
Cultum exhibere, publicum quando haud licet?

DANIEL.

Tam turpe facinus, dedecus tantum feram,

Ignavus, excors? Non retro, ut possim, pedem
Velim referre; nec queam, si fors velim.
Peracta res est: omnibus feci palam,
Quis esse deceat legis injustæ metus.
Nosterve si quos animus etiamnum latet;
Mox sacra precibus hora spectatum dabit.

JOSEDECUS.

Quæ te in pericla mittis? .... Atenim Rex subit:
Salubriora, spero, consilia ingeret.

SCENA SECUNDA.

DARIUS, DANIEL.

DARIUS.

Accede, nostri columen & regni decus,
Generose Daniel; merita te pridem inclyta
Rerumque prudens animus, & constans fides
Superis & imis pariter acceptum caput
Fecere.

DANIEL.

Proh! me sorte felicem mea,

Cupidum obſequendi ſi modo ſtudium approbas,
Rex magne : quidvis aliud ulterius jube ;
Non me videbit ulla degenerem dies.

DARIUS.

Age ergo : rebus ſtrenuam Aſſyriis opem
Si quando ferre contigit, rerum juvat
Nunc demum habenas capere moderandas manu
Te Satraparum tota gens deinceps colet
Uno minorem Rege, & ad nutum obſequens
Mandata peraget ?

DANIEL.

Scilicet, dum me impias
Furtim per artes damnat inſontem neci ;
Suique te te ſceleris artificem facit ?

DARIUS.

In me vel in te perfidi tantum audeant ?
Quid quereris ? ecquod, fare, conceptum eſt nefas ?

DANIEL.

Non me Leonum, magne Rex, ſævus furor
Timidumve mortis aliud exterret genus.

Propone flammas, vulnera, & diras mali
Doloris artes; quidquid immane, horridum,
Quidquid cruentum livor atque odium impotens
Extuderit uſquam; non ego impatiens querar,
Nec dura verear fata conſtanter pati.
At cur in ipſum gens mala inſurgit polum,
Suum & ſupremo Numini eripiat decus?

DARIUS.

Nam quo iſta tendunt? Quem Deo ereptum doles
Amice, cultum? Quiſquis admiſit ſcelus,
Per ſceptra juro, vindicem agnoſcet manum.

DANIEL.

Etiamne legis impiæ auctores latent,
Quam regio ipſe calculo, imprudens licet,
Palam approbaſti? Mollibus ſed enim dolis
Fecere fucum Satrapæ; & dum te unicum
Babylone Numen ſupplici agnoſcunt prece,
Tam blandus error haud reluctantem abſtulit.

DARIUS.

Ah! video: miſerum laudis illuſit fames;
Suiſque, quod ſuadebat, illecebris nefas

Obduxit. Utinam liceat! infectum foret,
Quodcumque feci.

DANIEL.

Sed age: quis noſtrûm interim,
Tua ſi valebunt juſſa, terdenos dies
Merito ſupremum Numen obſequio colat?
Tu vota populi nempe, tu ſolus preces,
Deus ipſe regum dominus, & rerum arbiter,
Quaſcumque terris cernimus, nullas feret?
Et inultus ut ſit? Spretus, illuſus, probri
Impune patiens, ſcelere pro tanto, pares
Repetere pœnas parcat? Ergone excidit,
Nulloſve nuper vindicem expertus Deum
Abominandus Baltaſar fecit metus?
Hic pocula inter media, ſcortorum & greges,
Contaminare vaſa nil veritus ſacra,
Subita exaratum vidit attonitus manu,
Quod imminebat, debitum pœnæ genus.
Et ille prole melior, aſt olim & Dei
Suique pariter immemor, ſolio excidit,
Septem & per annos inter agreſtes feras,
Brutæque ritu pecudis exſatians famem
Nabuchodonoſor, triſte documentum dedit

Quantus superbos atterat Reges Deus!

DARIUS.

Confide, Daniel, melius: hunc ipsum polo
Terrisque Dominum, quem colis, testor Deum;
Suus hunc honos & cultus illæsus manet:
Nec illa tibi lex, quam tuli, damnum afferet;
Unum hoc precanti cede: tantisper preces
Omitte solitas: per brevem unius moram
Permitte lucis

DANIEL.

Tam tibi notus parum est
Daniel? Ut ævi fragilis indigno rear
Redimenda scelere tempora? ah! potius vide,
Quid mancipata Numini poscat fides?
Simulare nam quid plura nequidquam velim,
Quæ nota Satrapæ protinus facient palam,
Vel me tacente. Disce quod verum est: Deus
Dum nostra repetit vota, parendum fuit,
Nulloque potuit esse decretum loco,
Quodcumque faceres: quam voles pœnam irroga,
Rex magne: sed me rursus ad solitas preces,

Præfixa revocat hora; tu vive, & vale.

SCENA TERTIA.

DARIUS.

ABſcedit; & me ſana ſuadentem negat
Audire! Legis ecce contemptæ reum
Gens Satraparum tota Danielem arguet,
Gravibuſque repetet debitum pœnis caput.
Quid agam? vel unde ſubtraham letho virum
Meliora meritum fata? Quod placuit ſemel
Sancire, Regni jura mutari haud ſinunt.
Eheu! quid egi? video, properavi nimis:
Caviſſe decuit invidæ gentis dolos,
Nec ferre legem calculo quam non ſuo
Daniel probaſſet ipſe. Num regni tamen
Impune tantum præripi patiar decus?
Quid me experiri cardine hoc rerum juvat?
O tu micanti cuncta quem Daniel canit
Moderari ab arce; nunc ades, precor, ô Deus!
Magnique egentem conſilî aſpirans rege.
Natum evocemus; ſi qua ſe monſtret via,
Patrem adjuvabit. At prius ne me occupent

Satrapæ; nocendi neu quid officiat furor,
Prudens videbo. Portet huc aliquis gradum.

SCENA QUARTA.

DARIUS, PHRAORTES.

DARIUS.

Ades huc, Phraorte.

PHRAORTES.

Præsto sum.

DARIUS.

Astyagem voca:
Res urget; adsit ocyus: tu, ne interim
Succedat aulæ quispiam, dum erimus simul
Intus, cavebis sedulo.

PHRAORTES.

Imperium exequar;
At Mithridates ecce succedit tamen,
Comesque sequitur Gazabar.

DARIUS.

Nam quid volunt?
Ergo utriusque fugere conspectum haud licet?

SCENA QUINTA.

DARIUS, GAZABAR, MITHRIDATES, PHRAORTES.

GAZABAR.

REx, vive.

DARIUS.

Quæ vos cura ſollicitos tenet;
Nec evocatos tempore alieno huc agit?

GAZABAR.

Violata Regni jura, Regnantum & decus,
Tuaſque nullo, magne Rex, habitas loco
Impune leges querimur: ultricem manum
Scelus nefandum poſcit.

DARIUS.

Hoc ſtudium placet,
Et utriuſque laudo generoſam indolem.
Aſt inſtat aliud; plura nec mihi jam vacat
Audire. Si quod fuerit admiſſum nefas,
Curas inanes pellite, ultorem dabo.
Valete. * Tu me ſequere; nec quiſquam huc pedem
Quicumque demum fuerit, injuſſus ferat.

* *Ad Phraortem.*

SCENA SEXTA.

GAZABAR, MITHRIDATES.

GAZABAR.

Quid esse dicam, Amice? quæ gravior potest
Stimulare Regem cura, dum regnis probrum
Sibique placidus audit illatum?

MITHRIDATES.

Stupor
Me similis urget; nec quid acciderit novi,
Quo quo feratur animus, incertus videt.

GAZABAR.

Sensisti ut ægra Regis insolitus pavor
Turbavit ora, quando violatam audiit
Legem, reumque capitis ad mulctam peti?
Ah! video; neque me credulum fallit malus
Error, metusve ludit. Hebræi scelus
Rex novit, aut non vana suspicio incidit.

MITHRIDATES.

Si novit; ecquid quærere ulterius juvat,
Cur nostra fugiat ora, conspectum horreat?

Damnare metuit nempe quem ſalvum velit.

GAZABAR.

Fruſtra eſt, Amice: nemo devotum neci,
Vel ipſe rex ſi tentet, eripiat caput.
Decreta quiſquis noſtra violavit nocens;
Hunc jura ſontem cuncta damnari jubent.

MITHRIDATES.

Quem vehere primos certat ad honorum gradus
Manifeſta Regis gratia, & reliquos ſuper
Poſuiſſe Satrapas ambit; an lentus ſinat
Perire eundem?

GAZABAR.

Si negat, cogi poteſt.
An ergo nullum, Satrapæ quotquot ſumus,
Vel inane gerimus nomen? Incœptum bene eſt;
Structoſque Daniel lævus in laqueos ruit.
Inſtemus operi: fata felicem exitum,
Ni robur animo deſit ac virtus, dabunt.

MITHRIDATES.

Confide: ſtimulis paribus accenſos habes,

Quoſcumque Daniel jam diu imperio premit.
Nunc ergo, ſi qua eſt, rurſus ad Regem viam
Tentemus.

GAZABAR.

Ultro te ſequor : jam jam ſciet
Sceleſtus, aliquos eſſe quos ſprevit, Deos.

Finis Actus primi.

ACTUS

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

ASTYAGES, PHRAORTES.

ASTYAGES.

SPerare quid tu melius Astyagem jubes,
Amice? prima, video, te species capit,
Luditque amantem; quodque jam factum velis,
Id posse fieri placuit: hic blandas preces
Phraortis, & quæ vota sollicitus facit,
Agnosco; dignas & memor referam vices,
Meliora quondam fata si dederint locum.
At parce, amabo, credulam spe futili
Lactare mentem: potius hæc animo injice,
Sortem unde levius possit adversam pati.

PHRAORTES.

Quam non inanis augur exstiterim, brevi,
Generose Princeps, faciet eventus palam.
Utinam adfuisses, cum tui cupidus pater
Satrapas valere jussit; ac gravibus licet

De rebus ambo Regis affatum dari
Peterent, loquendi pertinax ſpatium negat!

ASTYAGES.

Suis carere genitor ut Satrapis queat;
Naturaque patiens imperi in partem vocet?
Hoc credis? hoc me credere hortator jubes?
Ten' lateat unum, Amice, quem pater ad gradum
Evehere Satrapas inter Hebræum paret?
Mox ſumma rerum nempe Danielem eſt penes;
Nihilque, Regis nomine excepto, manet
Deinceps parentem; non ego, æthereas faces,
Cœloque quiſquis regnat, atteſtor Deum,
Dulce imperantum cupidus invideam decus:
Aut longioris pondus obſequii abnuam,
Aſſyria per ſe regna dum genitor regat.
At ipſe rerum mole defeſſus gravi
Quod facere refugit, ſobole contempta, pater
Moderanda tradat ſceptra Satraparum in manus;
Pudet, pigetque fateor; & probri impotens,
Huc uſque docilis animus haud novit modum.

PHRAORTES.

Cuicumque ſanguis melior in venis micat,
Quam ſit negatæ laudis impatiens, ſcio,
Generoſe Princeps: inclytam novi indolem,
Mentemque rebus, quam geris, natam arduis.
Nec exerendæ, ſpero, virtuti locus
Longum aberit; animos interim ad tempus preme;
Conſilia regis cuncta dum ſe ſe explicent,
Senſuſque pandant intimi.

ASTYAGES.

Morem geram,
Amice, & ultro, quam petis, dabitur mora;
At ni querelas docilis admittat pater,
Habeatque juſtas, quo loco deceat, preces;
Ignoſce, ſi quid....

PHRAORTES.

Ah! cave; namque huc ſubit
Rex ipſe, cedo.

SCENA SECUNDA.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES.

DARIUS.

Ne pedem hinc retro feras,
Phraorte: quidquid hîc rei est, totum hoc bene
Animo fideli creditur. Patrem adjuva
Tu nate, rebus, quam potes, dubiis opem
Ne ferre pigeat.

ASTYAGES.

Sorte nunc demum sua
Lætum ac beatum, genitor, Astyagem nimis,
Præstare si quid liceat, unde animus, fides
Constent parenti!

DARIUS.

Nate, ut hic sensus placet!
Ut me ista pietas recreat! mentem adjice;
Et quid juvare cardine hoc rerum patrem
Possis, docebo. Quo mihi positus gradu,
Orbi verendum quam sit Assyrio caput


Hebræus ille, merita cui pridem inclyta
Tam grande nomen tamque conſpicuum decus
Fecere, noſti. Senſit ingenium ſagax,
Mentem & futuri providam expertus, virum
Honore coluit multo & inſignem dedit
Tenere reliquos Satrapas inter locum
Nabuchodonoſor; ipſe fatorum aſperas,
Quod imminebat, Baltaſar doctus malum,
Ni mens fuiſſet læva, fugiſſet vices.

ASTYAGES.

Jam nota loqueris, genitor; at ſi quid levi
Meruiſſe Daniel potuit obſequio, ſatis
Numquid repenſum eſt? affatim indultus favor
Officia vel majora penſaſſet bene.

DARIUS.

Quid loqueris? an te pariter infelix quatit
Stimulatque livor, Nate? Ne doleas tamen;
Huc uſque tanto quidquid impenſum viro eſt,
Regnis, mihi, tibique id impenſum fuit.
Scis ipſe; quo non cœca dominandi fames



Et tacita Satrapas odia, malefidum genus,
Agant furentes: ſtruere fallaces dolos,
Suiſque vitam regibus, ſceptrum aut malas
Rapere per artes, hoc ſtudent unum, labor
Hic unus; iſto ſcelere ſed Daniel vacat,
Moreſque ſolus impios, plenus Deo,
Quem vaſta mundi ſpatia moderantem colit,
Damnavit uſque. Gentis hinc dudum efferæ
In ſe furores movit; hinc pœnas graves,
Mea ni reſiſtat cura, ni præſens opem
Et ipſe tuleris pariter, immeritus dabit.

ASTYAGES.

Aſt ille pœnas unde jam metuat, gradum
Per te aſſecutus penè regali parem.
Hinc Satraparum futiles ſpernat minas
Impune; tuque plectere ut ſontem velis,
Fruſtra laceſſas invium letho caput.

DARIUS.

Ah! ne parentem, Nate, nil meritum aſperes;
Tumida reſidat ira; veſanos preme
Animi tumultus; ſiquid offenſus doles,
Regni cupido ſi qua ſollicitum fodit,
Confide; ſuperi vota quamprimum audient,

Jam me senectus ægra, me dudum meus
Amor volentem, facere quid deceat, monent,
Inducias te genitor exiguas rogat;
Operique, quod jam meditor, admoveas manum.

ASTYAGES.

Tam dira me libido, dum lucem aſpicis,
Regnaſque, vanum ſtimulet? Hoc credis pater?
Suſpicio tibi tam prava de nato incidit?
Proh! dura mea nunc fata! Me vivum prius
Tellus profundo condat æternum ſinu;
Miſſumve cœlo fulmen in miſerum ruat;
Quam ſceleris hujus videar admiſſi reus.
Fidem experire, genitor, obſequium proba;
Et infidelem nactus Aſtyagem abjice.

DARIUS.

Bene eſt, abunde eſt: hoc mihi ſolum peto
Fidei & amoris ſpecimen, hoc unum annue
Ut imminenti, Nate, Danielem eximas
Mortis periclo; noſtra, quæ nulli licet
Violare, juſſa ſprevit, & vetita palam
Suum obſecravit Numen impavidus prece.
Res nota Satrapis: gentis ingenium malæ

Tales tetendit, queis virum caperet, dolos;
Namque ipsa legem fixit arbitrio, & mihi
Nil cogitanti tale signandam obtulit.
Jam venit impos mentis atque odio furens
Cum Mithridate Gazabar; paribus reum
Animis parabant agere, nisi vocem occupans
Rerumque molem fraude mentitus pia,
Hinc sustulissem me me ab utroque ocyus.

SCENA TERTIA.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES.
MILES.

HUc ambo Satrapæ Principes aditum petunt.

DARIUS.

Mea sic facessunt jussa? Jam menti excidit
Fuisse vetitum, nequis huc ferret pedem.
Injussus?

MILES.

Equidem fateor: ast instant tamen,
Gravesque, si quid creditur, causas habent,
Quæ longiorem ferre non possint moram.

DARIUS.

DARIUS.

Dic in penates intimos flectant gradum;
Mox adero.

SCENA QUARTA

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES.

DARIUS.

Cernis, Gnate, quo livor nocens,
Aperta quo non odia præcipites agant?
Etiamne patiens triste servitium feram?

ASTYAGES.

Age ergo, Genitor; quin jugum turpe excutis:
Pulsi quiescant Satrapæ: Imperium rege
Solus; nec ultra Sceptra moliri audeant.

DARIUS.

Utinam liceret, Nate, quod suades sequi;
Talesque regni fata paterentur vices!
Lux forte veniet illa, cum faciles Dei
Feliciorem rebus ostendent viam.
Quod urget, unum adverte; quo possit modo
Jam provideri certa Danieli salus.

ASTYAGES.

Tuum imperare eſt, Genitor, & noſtrum ob-
ſequi.

DARIUS.

Olli ſalubrem, Nate, curemus fugam:
Spes illa ſupereſt una, ſi ſalvum velis.
Severa regni jura; nec regem eſt penes,
Quantum laboret cumque, dum Satrapæ ab-
nuunt,
Eripere letho legis infractæ reum.
Hoc agere præſtet; exteram ut Daniel queat
Adire terram ſoſpes, & quantum patet
Caldæa, noſtris protinus migret plagis.
Amica Perſis dulce perfugium dabit:
Notumque Cyrus hoſpitem accipiet lubens.
Babylone Daniel aderat ante annos decem,
Cum victa Medis pariter ac Perſis, mihi
Cyroque ceſſit, noſtrum & excepit jugum.
Jam tum futuri præſcius, rerum & ſagax
Danielis animus nomen in clarum iverat,
Cyrique in aula grande retinebat decus.
Cyrum ocyus monebo, quo Daniel gradu
Mihi ſit, vel orbe dum procul noſtro exulat.

Hoc providebis ergo ; tecum erit hic labor ;
Ut nocte captet proxima incolumis fugam.
Reviso Satrapas interim, & placide audiam,
Jactare quidquid gravius in Hebræum parant.
Tum velle totum excutere dum per me scelus
Videor, morarum, cardine hoc rerum, satis;
Perficere cuncta commode ut liceat, traham.

ASTYAGES.

Confide, Genitor; quod jubes cumque, exequar.

SCENA QUINTA.

ASTYAGES, PHRAORTES.

ASTYAGES.

Vicimus, Amice; fronte mutata redit
Fortuna melior, rebus & nostris favet.
Eamus; ultro quam pater miserans opem
Impendi Hebræo postulat, dabimus.

PHRAORTES.

Fugam
Ipse adjuvabis? tamne mutatum rear?

Concepta placidis odia ſic animis cadunt?

ASTYAGES.

Quin me juvarent odia, dum ſupereſt nihil
Deinceps timendum. Fugiat, & vitam trahat
Impune Daniel; nil moror; nullos metus
Dum faciat, & non debito cedat loco.
Ah! paribus utinam legibus talem queant
Satrapæ mereri gratiam, inviſum genus,
Paterna quot quot Sceptra moderari ambiunt!

PHRAORTES.

Parumne gentis Principem in geminum in-
vehi
Rex viſus? ipſe teſtis audiſti, quibus
Utriuſque fraudes impias ſenſit probris:
Nec lentus aderit ultor.

ASTYAGES.

At eoſdem timet,
Odiſſe vel ſi poſſit, infenſus pater.

PHRAORTES.

Etiam timere deſinet, nutantem adhuc
Capiti coronam longa cum tandem dies
Firmarit.

ASTYAGES.

Et nos turpe ſervitium interim
Feremus ?

PHRAORTES.

Hæc te cura ſollicitum coquat ?
Meliora potius fata dum ſe ſe explicant,
Hinc augurare melius.

ASTYAGES.

Ignoſce, obſecro,
Amice; me ſi forte regnandi fames
Iniqua ſtimulet; recta ſuadentem ſequar.
Quod viſa mihi ſors jam dare, apponam
lucro,
Et lætiores, dum ferat, patiens vices
Sperabo: ſed tu patris in Satrapas move
Animos & iras: retege fallaces dolos;
Tacitiſque ſemet credat inſidiis peti.
Ego hinc parentis, juſſa quo rapiunt, feror.

PHRAORTES.

I, perge, Princeps; ſequere felicem impetum,
Et mancipatam crede, quam repetis, fidem.

Finis Actus ſecundi.

ACTUS TERTIUS

SCENA PRIMA.

DARIUS, MITHRIDATES, GAZABAR. PHRAORTES.

DARIUS.

MEtus omnis absit; non ego invisum velim
Fovere facinus; lege contempta nocens
Quicumque fuerit, debitas pœnas luet.
At ista, Proceres, causa sedatos petit
Animos, nec ante debet immanes reus
Subire pœnas, quam suæ admissus palam
Causæ patronus, qua licet, probrum eluat.

MITHRIDATES.

Jam dicta causa est, hic ubi constat scelus,
Et tot revinci testibus factum potest,
Quot aula Satrapas, ipsa quot cives habet

Numerosa Babylon. Nam neque abstrusus
domi,
Tectusve latebris, supplici Daniel genu
Suum obsecravit Numen, at aperto in loco,
Et unde fugere nequeat aspectum, hinc
nihil
Mandata veritus regia, illusit sacras
Impune leges. Vidit indignans probrum,
Nec inulta siluit turba: conclamat; graves,
Dirum execrata facinus, intentat minas.
At non moveri visus, aut victus metu,
Votis pepercit; animum in errore obstinat,
Iteratque vetitas usque contemptor preces.

DARIUS.

Confidite: ultor aderit, & sontem manet
Æquanda sceleri pœna: præcipites tamen
Retinere motus, æquitas, ratio admonent,
Alioque digna præmio, in rerum arduis
Probata virtus, & viri constans fides.
Ipsa, ipsa Babylon novit, & qua panditur,
Utrumque didicit orbis Assyrii latus;
Quis ille, cujus poscitur letho caput;
Quoties per ipsum parta Babyloni salus.

Ergo quis in me parcat opprobrium asperæ
Jactare mortis, si quid in talem virum
Properasse nimiùm videar? ah! si dura lex
Regnique jura cadere Danielem volunt;
Æquas queratur nemo damnantis moras.

GAZABAR.

Quas petis, iniquas ipsa lex damnat moras;
Damnantque Satrapæ pariter: iratus fremit
Et ipse populus; ac nisi sontis nece
Justo furori protinus fiat satis,
Nequid sinistrum tentet insipiens, cave.

DARIUS.

Frenare vestrum est & coercere impetum.

GAZABAR.

Populi furentis impetus nescit modum.

DARIUS.

Quiescit ultro, ni quis incendat, furor.

SCENA SECUNDA.

DARIUS, MITHRIDATES, GAZABAR, ASTYAGES, PHRAORTES.

ASTYAGES.

LIceat remotis alloqui patrem arbitris.

DARIUS.

Ite ambo, neque vos ullus excruciet labor.
Suum verendas ufque & illæfum decus
Leges manebit, fpondeo; hoc unum, obfecro,
Confulite; nequid deinde turbarum audiam.

GAZABAR.

Quam polliceri facile, tam pronum id foret
Præftare, Princeps, quod petis: tecum hoc vide:
Aft unus ipfe facere, quod mandas potes.

SCENA TERTIA.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES.

DARIUS.

ECquando tumidos ſpiritus tandem premam,
Cogamque dociles Regis imperium pati?

ASTYAGES.

Regnas; & iſtud, Genitor, ambages parit?
Agedum experire, jura dominantis probent;
Nati & ferendo, perpeti diſcant jugum.

DARIUS.

Primum quod inſtat, Nate, jam facto eſt opus.
Mox, crede patri, ſceptra quis teneat, ſcient.
Jam fare; qualem nuncias rerum exitum?
Quid me jubes ſperare?

ASTYAGES.

Nil actum eſt, pater;
Et quam obtuliſti, rejicit Daniel fugam.
Suaſi, rogavi, quaslibet me me ſagax
Converti ad artes, cuncta tentanti irrita
Cecidere: perſtat uſque propoſiti tenax,

Nefasque reputans fugere, dum solus Dei
Cultus nocentem fecit; horrendam prius
Subire mortem, tale quam probrum, velit.

DARIUS.

Quæ pars salutis est super; vel quis modus;
Inire, quæ jam est una, si refugit, viam?

ASTYAGES.

Me cura similis angit: at vel si annuat,
Vix ullus esse nunc fugæ possit locus;
Tam multa populi turba circumdat virum;
Tantos & illa pertinax motus ciet.

PHRAORTES.

Adest fidelis ille Danielis comes;
Et ora lævum mœsta nescio quid canunt.

SCENA QUARTA.

DARIUS, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

DARIUS.

Josedece.

JOSEDECUS.

Sacros pronus advolvor pedes.

DARIUS.

Quid vis? quis ægro luctus in vultu sedet?

JOSEDECUS.

Actum est: periclo ni statim salvum eripis,
Certamque rebus perditis affers opem,
Rex magne; fato lugubri Daniel perit!

DARIUS.

Infanda nam quæ fata Danielem petunt?

JOSEDECUS.

Parvos penates populus immensum fremens
Obsedit, & nil tale promeritum, neci
Dandam reposcit victimam: tectis faces
Impune, passim tela cum saxis volant!
Ac ni furori fida sociorum manus
Huc restitisset usque, jam fracto objice,
Lymphata miseros turba vertisset lares.
Nam gens iniqua Satrapæ, & dirum nefas
Meditata, stimulis acribus populum incitat;
Et læsa regni jura per totam ferens
Babylona, sontem mortis in pœnam vocat.
Te si qua miseri cura Danielis movet,
Rex magne; studio si quid assiduo potest
Meruisse, capiti funus infandum amove.

DARIUS.

Gens perduellis has mihi turbas agit
Odiiſque, ſpreto rege, ſervire obſtinat?
At non inultum noverit jam jam ſcelus.
Phraorte, propera: reprime furialem impetum,
Mihique tecum ſiſte Danielem ocyus.
Sic jubeo: quiſquis ponere audebit moras;
Vel Mithridates, Gazabar vel ſi fuat,
Per aſtra juro, vindicem agnoſcet manum.

PHRAORTES.

Rex magne, ſalvum præſto, vel noſtrum in caput,
Si quam minantur fata, tempeſtas ruet.

SCENA QUINTA.

DARIUS, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DARIUS.

NAm quis tumultus inter ac triſtes minas
Danielis animus? quo videt vultu efferæ
Plebis furores, atque Satraparum truces
Advertit iras?

JOSEDECUS.

Fortis, impavidus, ſui
Similis, nec ullo mortis infractus metu,
Utriuſque ſortis placidus expectat vices.

DARIUS.

Sic ergo rigidus dulce conſilium abjicit;
Et, quam ſalutis facio, non patitur viam?
Tun' ipſe amicum lentus in apertam rapi
Sinas ruinam? Tam parum ſolers fuit,
Aut tam remiſſas extulit vires amor;
Ut non amantem flecteret?

JOSEDECUS.

Tene, ah! graves
Augere luctus, magne Rex? tene aſperum,
Heu me! quod alto pectori inflixit dolor,
Stimulare vulnus? quid ego inexpertum tuli,
Dum prævidercm mente præſaga malum,
Funeſtum ut omen fallerem? Ut ſæpe inſtiti,
Periculoſo ne ſuum obſequio Deum
Coleret; iniquum donec edictum abrogans,
Obicem amoveres ipſe. Sed fruſtra: horruit,
Meque execratus conſilî auctorem impii,
Immotus uſque, durus, intractabilis,

Rupiſque more neſcius flecti, ſtetit.
En prodit ipſe.

ASTYAGES.

Quanta tranquillo nitet
Gravitas in ore !

SCENA SEXTA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES,
PHRAORTES, JOSEDECUS.

PHRAORTES.

Vicimus; ceſſit furor
Populi impotentis: placidus imperium audiit,
Turbiſque poſuit, regis ad nomen, modum.
En ipſe Daniel ſalvus ac ſoſpes ſubit.

DARIUS.

Bene eſt, Phraorte; rurſus ad populum redi;
Ultraque ne quid agitet, attentus cave.
* Quæ te in pericla mittis, & ſtudio tui — ** Ad Danielem.*
Quantum ſub imo corde mihi curam injicis,
Magnanime Daniel!

DANIEL.

Quam geris pro me, exuas,

Rex magne, curam; quidquid eveniat, levis
Jactura nostri fuerit.

DARIUS.

Ah! potius, rogo,
Vide, ut periclo, dum potes, vitam eximas.
Quid renuis? aut te cur fugæ tantum piget!
Tibi Persis ultro, Media hospitium dabit:
Potensque gemini Cyrus ac Dominus soli,
Tanto beatus hospite, acceptum polo
Munus fovebit, & memor grates feret.
Te coluit ille quondam, & obsequio pari
Tuum fatetur atque veneratur Deum.
Ut te reviset lætus! ut longas bene
Avidus utrinque redimet amplexus moras!

DANIEL.

Istis levare parce, quam suades fugam.
Non renuit animus fugere; nec gravius pati,
Quod imperasse placeat, exilium timet.
Hinc in recessus orbis extremos jube,
Deserta mundi spatia, solisque hactenus
Habitata monstris tesqua; vel fragili rate
Penetrare cœcos æquoris vasti sinus;
Dum fata præter dura, casusque asperos

Nil ſit timendum; te mihi teſtem invoco,
Te, qui latebras cordium aſpectas Deus,
Quocumque lethi genere ſi metuam mori.
Aſt una pavidum cauſa fugiendi facit;
Plenamque ſceleris animus horreſcit fugam.

DARIUS.

Quid metuis? animus quod ſibi fingit ſcelus?
Scelus eſt periclum fugere, & immeritas procul
Arcere pœnas?

DANIEL.

Fugere ſi nequeam innocens,
Scelus eſt.

DARIUS.

Sed unde non potes fugere innocens.
Quæ te nocentem culpa, ſi fugias, habet?

DANIEL.

Id quæris? Egone legis injuſtæ probrum
Suum & ſupremo Numini ereptum decus
Impune patiar? publicum vel ſi nefas
Palam improbaſſe videor, & læſos Dei
Reparaſſe cultus; jamne diſſimilis mei,
Fœdaque facinus inclytum aſpergens nota,

Dare terga retro transfuga infamis queam ?
Ah ! parce : vano forte ſuperatus metu,
Cupiduſque vitæ ſi profugiſſem prius ;
Ad hoc redirem, magne Rex, turpem ut cruor
Per mille fuſus vulnera elueret fugam.

ASTYAGES.

Proh ! quanta virtus ! proh ! viri digna indoles
Meliore fato !

DARIUS,

Cur tuam præceps ruis
Ultro in ruinam ? Ne mihi, quando hic ſuper,
Aditus ſalutis unus eſt ; illum eripe ?
Hoc me rogantem ſuſtine, vel ſi magis
Placet imperata facere, regnantem feras.

DANIEL.

Mene iſta poſſe ? quod jubes, Deus hoc vetat.

DARIUS.

Nam cur vetaret ? Nempe tam durum putem
Rigidumque Numen quod colis, vitam ut ſuis
Adimat, velitque ſceleris expertes mori ?
Aliud dediſti ſpecimen ; ut facilem, & bonum
Piumque quoties ipſe jactaſti Deum.

DANIEL.

Nihil hinc refingam : facilis & bonus hic
quidem
Piusque Deus est , quem colo : ast idem
potens
Vitæ necisque Dominus : utrumvis petat,
Utrinque fidum pariter obsequium exigit.

SCENA SEPTIMA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES,
PHRAORTES, JOSEDECUS.

PHRAORTES.

POpuli invalescit ardor, ad primas redit
Furias, nec ultra regis imperium valet
Frenare motus, ipse ni præsens malo
Paret mederi? Civium iratis micant,
Scelerata manibus arma; properato est opus;
Vel iniqua miserum fata Danielem obruent.

DARIUS.

Sic nullus aderit usque turbarum modus.
Ibo, ibo. Sed enim sceleris auctores, polum
Et astra testor, quas decet, pœnas dabunt.

DANIEL.

Ah! potius, in me totus exundet furor:
Avidamque noſtro ſanguine exſatiet ſitim!
Meum omne ſcelus eſt; unus ad pœnas vocor,
Rex magne: me me victimam redde ocyus;
Me perime: poſtquam noſter explerit cruor
Animos feroces, blanda pax populis, quies
Redibit urbi.

DARIUS.

Fruſtra es.

DANIEL.

Hoc unum annue,
Per ſi qua pietas! Genibus affuſum vides
Miſereſce.

DARIUS.

Redeo, Nate: Danielem interim
Tuere, neve regia exportet pedem,
Caveto.

DANIEL.

Saltem patere, te comitem

DARIUS.

Reſiſte.

SCENA OCTAVA

DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DANIEL.

Juftas furdus elufit preces.
Fugitque; placidum te mihi experiar magis,
Magnanime juvenis; da levi pretio graves
Reftinguere iras? cadere da populi manu.
Vel fi nocentem durius lethi genus
Decuit; leonum pergo feralem ad lacum,
Ubi præda rabidis debita obtingam feris.

ASTYAGES.

Huc fequere potius, æquior donec viam
Fortuna pandat; fi quid Aftyages poteft,
Animum probabis ipfe & addictam fidem.


DANIEL.

Parebo: quovis vel reluctantem trahe.

JOSEDECUS.

O tu piorum tutor ac cuftos Deus,
Quas tanta pietas meruit, exfolvas vices!

Finis Actus tertii.



ACTUS QUARTUS

SCENA PRIMA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DANIEL.

FRustra repugnas; hactenus satis est datum,
Rex magne, amori: cede; quid rursum aspera
Mollire tentas corda? spem vanam abjice:
Nec frena patitur plebis insanus furor;
Nec ponere odiis Satrapæ norunt modum.
Me crede mihimet, aut mei potius Deo
Committe curam: justus est cœlo Deus;
Preces nec ille corde conceptas pio
Aversus unquam sprevit. O utinam sinus
Cordis paterent intimi, & quod vix loqui
Possim, videres! Grande nescio quid sibi
Promittere audet animus, & spes hic novas,

Omnemque pene quæ fidem ſuperent, fovet.
Fera bella moveant, corpus objectent feris,
Quos odia, quos & livor in noſtrum caput
Incendit hoſtes; ne time; inſontem haud petit;
Sua ſed nocentes pœna, Rex magne, obruet.

DARIUS.

Quo raperis? Ecquid dura properantem juvat
Laceſſere ultro fata? Sed video ſatis,
Quæ fodiat ægrum cura; diſſimules licet,
Video innocentes, quos mihi nectis, dolos.
Te noſtra pietas angit, & quem pro tua
Ferimus ſalute, turbat ancipitem labor.
Hac nos levare mole vel proprio bonus
Ambis periclo: cadere tibi pulchrum æſtimas,
Pulſo tumultu blanda dum redeat quies.
Hinc robur animis additur? ſpes hinc nova,
Quam paſcis; & qua, facere ſi poſſis fidem,
Nobis dolorem pariter & curam eximas.
Tamen hæc omitte; nil agis: pia fraus patet:
Quantoque noſtri viſus es cupidus magis;
Tanto eſſe tua jam carior meruit ſalus.

Confide : quovis impotens Satrapas agat,
Vel ſtimulet ira; quid quid inviſum aggredi
In me meoſque populus effrenis paret;
Te noſtra, Daniel, dextra defenſum dabit,
Vixiſſe tecum potero, vel tecum mori.

DANIEL.

Ah! parce: quid enim ſuadet imprudens amor,
Rex magne? quanquam nec tuo dignus forem
Amore, ſi quod loqueris, id merito imputes.
Talem æſtimares nempe, qui mediter levem
Feciſſe fucum? qui palam imbellem velim
Jactare fruſtra, cultor inſipiens, Deum?
Agnoſce, quale Numen Abrahamo ſata
Soboles vereri certet. Haud vano deos
Errore fictos, ſilice vel ſterili colit
Exciſa trunco monſtra; queis ſurdæ patent
Aures, & oculis qui nihil apertis vident.
Ille, ille quem nos colimus, & juſtas preces
Audit; labores, qui premunt miſeros, videt:
Opemque ferre rebus afflictis amat.

DARIUS.

Eccur benignam retinet ulterius manum?
Cur invocatus non adeſt? vel cur opem
Gravibuſque

Gravibuſque differt facere medicinam malis?
Nempe opperitur ille, dum nullum ſalus
Abſumpta tandem linquat auxiliis locum.

DANIEL.

Ut ratio tua te fallit! ut noſti parum,
Rex magne, qualem, quamque diverſam hic Deus
Inire ſoleat more ab humano viam!
Cum nulla reſtat ſpes ſuper; cum perdita,
Et lapſa retro cuncta perniciem putes
Certam minari; cardine hoc rerum ultimo;
Deus ille, cujus ſervit imperiis mare,
Cœlumque, & orbe quidquid in vaſto ſubeſt,
Se prodit; atque quantus eſt, tantus ſolet
Populis videri.

DARIUS.

Proh! mihi qualem occinis,
Et quam periclo ſpem facis plenam gravi!
Ergo perire te ſinam, ut ſalvum velim?
Salvuſque nequeas eſſe, ni pereas prius?
Mirum ſalutis ô genus! Spes ô nova,
Inuſitata quam foves! aliud doce
Sperare, tuus hic aliud afflictis Deus

Addat levamen; quidpiam vel me ſinat
Tentare pro te melius.

DANIEL.

Hæc ſentis? loqui
Nec iſta, Princeps, te piget? talem parens
Rerum & ſupremus arbiter labem ferat?
Joſedece, cur hîc trahimus indecores moras?
Juvat ire: fuſo ſanguine opprobrium eluam.
Felix in ipſa morte, ſi gravius nihil
Deus ille, quem ſic lædis, in pœnam exigat!

ASTYAGES.

Abſcedis? ah! ne ſequere præcipitem impetum:
Ignoſce, ſtudio ſi quid erratum eſt tui.
Timore plena ſedulo res eſt amor;
Nec imputandum credidit ſceleri pater;
Unde, unde tandem parta dilecto ſalus
Capiti veniret.

SCENA SECUNDA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS, PHRAORTES.

DARIUS,

Quid refers? quo res loco,
Phraorte?

PHRAORTES.

Quo non ſtare, vel dici queant
Pejore; nam ſi turbidis rebus brevem
Afferre Regis viſa majeſtas moram;
Animiſve ſi quis additus pavidis metus;
Vix rettuliſti regiis laribus pedem,
Vires reſumpſit, obice ſeu rupto, furor,
Omenque lævum, triſte, luctificum canit.
Totam per urbem quippe rumorem ſerit
Cum Mithridate Gazabar; cladem horridam
Inſtare populis, ſi quid indultum reo
Fuerit; nec eſſe Regis arbitrium penes
Eximere letho, ſpreta quem ſontem arguant,
Meritaque regni jura damnarint nece.

DANIEL.

Vides, inanis quam foret deinceps labor
Tuus ille pro me; lata lex: Satrapæ jubent:
Pòpulus furoris impotens pœnam irrogat.
Patere àntevertam vota; da, rabiem expleam:
Ultroque, quo me rapere festinant, sequar.
Unum, per istos, quos ego amplector pedes;
Per ista, Princeps, genua, ut exorem, sine.
Nihil est iniquum quod petam; nihil est, ferox
Quod hostis ipse, si quid humanum sapit,
Invideat.

ASTYAGES.

Heu! quid, dum peris, etiam juvat?

DANIEL.

Perire nil me pigeat: at si me Deus,
Deus ille, cujus ambiam imperio immori,
Pericula inter media securum dabit;
Si dira rabidis ora concludet feris,
Unum hoc rogantem sustine; hoc unum mihi
Sperare de te liceat.

DARIUS.

O utinam ratas

Et ipſe, quas periculi oblitus foves,
Spes facere poſſis! ſed tibi obſtringam fidem.
Quodcumque petere lubeat, incolumis feres.

ASTYAGES.

Et hoc precantem, mi Pater, natum audias.
Amica nobis ſi qua Danielem velint
Servare fata ſoſpitem; & eaſdem vices
Subire pariter, fraudis artifices malæ
Cogantur.

DANIEL.

Haud me dira vindictæ ſitis
Eſtimulat, iſtud facere nec votum placet.
Vivant, ſuoque ſcelere vel dignas queant
Fugiſſe pœnas, nil moror: aſt unum polo
Numen verendum facinoris memores tremant.
Audere nec ſi quidpiam contra parent,
Jactent inultum. Tuque numeroſæ potens
Regnator aulæ, tota quem patiens jugi
Babylon timere didicit; hunc pariter time,
Reges in ipſos cujus imperium eſt, Deum.

DARIUS.

O tu potenti cuncta qui nutu quatis,

Imosque ab alto pervides cordis sinus:
Nosti; colendos uspiam si quos putem
Te præter, aut si venerer infidus Deos?
Ades huc; & istud, quod geris, tandem exere,
Imperium in omnes: urbe qui tota calent,
Compesce motus; blanda succedat quies:
Et efferatos alta pax animos regat.
Vel si stupendis rursus ostentis amas
Notescere orbi; dumque inextinctam famem
Reprimis Leonum, si tuum populis placet
Palam approbare Numen; hoc ipsum invoco,
Testorque; qui me cumque regnantem colit,
Unum perenni te Deum obsequio colet.
Confide, Daniel. ....

PHRAORTES.

Turbidus fert huc gradum
Cum Mithridate Gazabar.

SCENA TERTIA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, GAZABAR, MITHRIDATES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

DARIUS.

Quo vos furor ?
Quo cœca rapiunt odia ? ſic placidos mihi,
Sic obſequentes ſe probant ? ubi, ubi pudor,
Pietas, fides, amorque ? Nil Regis preces,
Nil juſſa valeant; non mihi inſignem virum
Clarumque meritis, dulce præſidium imperî,
Urbiſque & orbis pariter Aſſyrii decus
Servare per vos liceat?

MITHRIDATES.

Inſontes cave
Onerare probris : noſtra nil in te fides,
Nil peccat animus : temet incuſa mali
Cauſam tumultus ipſe, dum juſto caput
Subtrahere letho tandiu meritum obſtinas.

DARIUS.

Et perduelles, credo, quas turbas cient,

Mihi imputabunt ? unus inveniar nocens ?
Desinite fucum facere ; mendaces doli
Astusque fictæ mentis hostiles patent.
Scio quo ferantur vota ; quid tantum incitet
Animos feroces.

MITHRIDATES

Legibus, Patriæ, Deis,
Regno Tibique reddere intactam fidem,
Hæc vota, Princeps, nostra sunt ; animum hic fodit
Urgetque stimulus.

DARIUS.

Patriam, Regem, aut Deos
Curant scelesti ; dum suum Patriæ decus
ColumenqueRegnograndepræreptum volunt ?
Populos ad arma dum vocant ; dum vim palam
Inferre Regi, nec meis me me ædibus
Pudet obsidere : quodque crediderim magis
Mihi luctuosum, dum polo & terris potens
Nostrisque toties Regibus temere petunt
Fatale Numen.

GAZABAR.

Apage peregrinum procul
Mendaxque Numen: Belus eſt nobis Deus;
Gens noſtra reliquos neſcit ac refugit Deos.

DANIEL.

Tamen hoc verendum noris ac diſces brevi
Numen tremendum, cujus aut fingis male
Neſcire mendax, cognitum aut ſpernis genus.

GAZABAR.

Quid ille poſſit, quem mihi jactas Deum,
Prior experire: pulchrius nuſquam queat
Probare, ſi quid juris in terras habet.
Faceſſe legum juſſa & horrendæ ſpecus
Ingredere latebras: hinc Deus ſalvum tuus
Te præſtet; avidas, nequid officiant, premat
Fauces Leonum. Quid times?

DANIEL.

Timidum arguis?
Timeat; inanem quis quis aut Belum colit:
Simulacra vel qui caſſa reputavit Deos.
At te verende generis humani ſator,
Qui ſequitur, ille neſcit ignavos metus.
Documenta dabimus; quod jubes, ultro exe-
quor.

Sequere, antecedo: nulla me retinet mora.

DARIUS.

Ah! siste Daniel. Vosque, si Regem decet
Quidquam rogare, supplici obtestor prece:
Deponite iras; facite pietati locum.

MITHRIDATES.

Nil vana peccat ira; sed nullus potest,
Nullusve meruit esse pietati locus;
Dum læsa Regni jura vindictam exigunt

DARIUS.

Navata Regnis opera quod pretium feret?

MITHRIDATES.

Hodierna laudem macula præteritam abstulit.

DARIUS.

Ah! video: plus vos odia, quam legum movet,
Studiumve Regni!

DANIEL.

Cur mihi oblatum doles
Testandi ubique Numinis veri modum?
Ne metue: tantum fac datam exsolvas fidem;
Nostrique Babylon vindicem æternum colat.
Meme ad Leones ducite.

JOSEDECUS.

O fortem virum ;
Et alia meritum fata !

DARIUS.

Nil ergo eſt ſuper ,
Quo rigida moveam corda ? nequidquam inſtiti ,
Monui , rogavi utrumque ; deſcendi ad preces
Haud rege dignas ! odia veſanis placet
Explere ! Nil repugno ; ſupplicium petat ,
Triſtemque Daniel ſubeat immeritus lacum.
At ſi quis inde ſoſpitem reddat Deus ,
Per ſceptra juro , fata vos eadem manent.
Hac lege vinctum rapite , quo ſuadet furor.

GAZABAR.

Bene eſt ; & iſta lex placet.

DANIEL.

Princeps , vale ,
Donec reducat Lucifer mundo diem.

DARIUS.

Amice , ni ſpes iſta metuentem erigat ;
Non te hinc revelli patiar.

JOSEDECUS.

Accedam comes.

DANIEL.

Subſiſte : quæ te cura ſollicitum tenet ?

JOSEDECUS.

Certum eſt eaſdem perpeti tecum vices.

DARIUS.

Tu, Nate, poſtquam fuerit ingreſſus lacum
Daniel, ſigillo, ne quis irrepat dolus,
Fauces baratri munies.

ASTYAGES.

Juſſa exequar,
Dilecte genitor.... Si quod eſt numen poſo,
Sceleris nefandos pœna in auctores cadat.
Phraorte, ſequere pariter, & fidas mihi,
Quocumque ducit aditus, excubias loca.

Finis Actus quarti.

ACTUS QUINTUS

SCENA PRIMA.

DARIUS, dormiens.

TEn' video? ſalvus tun' mihi ac ſoſpes
redis,
Generoſe Daniel? ergo miteſcunt feræ?
Tibi Leonum parcit immitis furor?
Ades huc: amicos regis amplexus pete,
Et noſtra ſe ſe gaudia * Heu quid dico? ubi *Evigilat.*
eſt?
Quo raptus oculis & meo avulſus ſinu
Receſſit? an me fallit incautum ſopor?
Vigilemne larva ludit?.. O nimium breve
Quantus repente gaudium excepit dolor!
Nam quo ſiniſtri non agunt animum metus?
Vivit? cruentas pavit an Daniel feras?
Ah! ſi periclo victus occubuit neci;
Quid agam? protervos ut dabunt de me jocos

Satrapæ feroces ! turgidos quo non ferent
Impune fastus ? Stulte, properavi nimis!
Periculosam debui fati aleam
Timere; variis debui invidiam artibus,
Longaque furias fallere injustas mora.
Tamen cliente pro suo nihil hic Deus
Fecisset, olim tam potens ? aliud decet
Sperare... Nullus interim mihi se objicit ?
Jussus redire Natus eccur non adest ?
Ah ! video : tristi nuncio pavidas timent
Percellere aures! Quidquid est jam jam eruam.
Huc aliquis...

SCENA SECUNDA.

DARIUS. PHRAORTES.

PHRAORTES.

Adsum.

DARIUS.

Nam quid hîc cessas ? age,
Phraorte ? Daniel vivit ?

PHRAORTES.

Allatum est nihil,

Rex magne.

DARIUS.

Periit! Filius nondum eſt redux?

PHRAORTES.

Vix prima cœlo luxit obſcuro dies.
Amica nobis fata ſi ſervent virum;
Mox victor aderit.

DARIUS.

Deſine ambages loqui;
Aperta loquere; vivit? an fatis minor
Ceſſit procellæ?

PHRAORTES.

Nil ego atteſtor polum,
Vel fingo vel diſſimulo; quod notum eſt, lo-
quor.
Aſt inquietam quid juvat triſti omine
Torquere mentem?

DARIUS.

Terret incertum, modo
Quæ ſe videndam res mihi in ſomnis dedit.
Jam pene olympo pulſa nox ſolitum egerat
Ingrata ſpatium, corde ſub vigili graves
Lenire curas dum mihi ſomnus negat.

Tandem receptus languidis ægre ſopor
Oculis; & artus dubia tentavit quies.
Tum ſurgere atro viſus eſt Daniel ſpecu
Totoque ſalvus corpore in lucem trahi.

PHRAORTES.

Nihil iſta, Princeps, monſtra, quod metuas, habent.

DARIUS.

Equidem, Phraorte: jamque lætitiæ impotens
Animique, caros ibam in amplexus viri
Cupidaque amantis colla prenſabam manu:
Cum noſtra ſubito brachia elapſus, leves
Ut umbra in auras, fumus aut tenuis, fugit.
Hic rupit ægros anxius ſomnos dolor.
Trepidumque miſero pectus implevit metu.

PHRAORTES.

Et iſta cur te viſa ſollicitum excedant?
Illæſus oculos ante cum Daniel ſtetit,
Lætum eſt ſalutis omen; haud certo magis
Secunda poterant fata ſignari indice.
Paulum opperire: protinus rerum abdita
Pandentur; & te liberum curis dabunt.

DARIUS.

DARIUS.

Phraorte, propera; lucis apparet jubar;
Ultraque clausum premere Danielem est nefas.
Expecto reducem, quam libet, si nos ames,
Moram amputabis.

PHRAORTES.

Quo jubes, ultro sequor,
At ecce lætos celerat Astyages gradus.

SCENA TERTIA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS, PHRAORTES.

ASTYAGES.

GRatare Regnis, Genitor, & dignas Deo,
Quem colere Daniel præcipit, grates habe
In omne tempus. En tibi incolumis redit:
Medioque raptus mortis horrendæ sinu,
Datamque præstat pariter & repetit fidem.

DARIUS.

Non ergo inani cecinit augurio Deus;
Blandisve amantem falsus illusit dolis?
Cum te per umbras noctis illæsum obtulit,

Animo videndum! nunc ades; juſtos licet,
Quos tu movebas, ponere æternum metus:
Ah! patere, amico tandem ut amplexu fruar;
Cœloque carum pronus ut venerer caput!

DANIEL.

Quod vivo lethi victor & duras vices
Elapſus, ad te ſoſpes huc refero gradum,
Rex magne; noſtri munus hoc totum eſt Dei.
Ille, ille ſceleris ultor, & recti potens
Fiduſque cuſtos, capite ab inſonte arcuit,
Et dira rabidis ora concluſit feris.

DARIUS.

Agnoſco: neque me, ſpondeo, immemorem dies
Videbit ullus:

DANIEL.

Ergo juratus fidem
Exſolve; Deus hanc poſcit.

DARIUS.

Exſolvam; Deum hunc
Iterum iterumque teſtor, acceptam refers
Cui tu ſalutem: debitas pœnas luet
Cum Mithridate Gazabar. Raptum ocyus

Utrumque, mitti jubeo feralem in lacum.
Phraorte, tuus hic esto, quem decuit, labor.
DANIEL.
Ah! parce, Princeps; non ego ultricem peto
Nec læsus ipse vel Deus dextram exigit.
Mansuescere ille docilis, & veniam bonus
Annuere, sceleris cum sui auctores piget.
DARIUS.
Absiste: leges imperî infectum vetant
Quodcumque Regum jussa sancitum semel
Voluere: si quem legis immunem asperæ
Fieri decebat, merita tibi dudum inclyta
Hoc vindicabant.
DANIEL.
Quid ais?
ASTYAGES.
Expertum dabunt,
Quid nostra possint Numina: auxilium ferant
Impune quot quot jactitant nobis, Dei.
DARIUS.
Phraorte, jussa perage.
DANIEL.
Da potius, precor.

Ut vana Superum monſtra, quos falſo vetus
Sacravit ætas, abnegent, tecum & colant
Amentque, ſolus qui coli meruit Deus,
Solus & amari meruit: abſolvet reos
Hac lege, veniam & ſponte placatus dabit.

DARIUS.

Fruſtra reſiſtis, Numen ulciſcar ſine;
Deſpecta cujus jura vindictam exigunt;
Placabit iras fuſus amborum cruor.

DANIEL.

Placare, Princeps, ipſe, placandum mihi
Relinque Numen, quod ſcelus cumque arguis,
Lacrymis piabo; lacrymæ exarmant Deum.

DARIUS.

Vinctum huc utrumque pertrahe, & Proce-
rcs mone
Adeſſe Satrapas.

SCENA QUARTA

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, JOSEDECUS.

DARIUS.

Quæ dedi, actutum exequar
Promiſſa, Daniel; quem tuæ agnoſcis Deum,
Colis & ſalutis vindicem; huic toto procul
Regno, fidele populus obſequium feret.
At noſtra coram juſſa dum Satrapæ audiant,
Tu pauca placidis auribus dicta excipe.

DANIEL.

Quodcumque placeat, præcipe; imperium
ſequor.

DARIUS.

Quod meruit ingens animus & tantis fides
Spectata monſtris, nemo delatum decus
Tibi jam invidebit; quem tenes laudis gradum
Securum ab omni deinde te præſtat metu.
Proin deſtinatos jam diu, & meritos cape
Titulos honoris; Satrapas reliquos ſuper
Dominare; noſtro quid quid imperio ſubeſt,

Uno minorem Rege te dominum ſciat;
Cultumque tanto muneri reddat parem.

DANIEL.

Parere potius liceat æternum, obſecro.
Procul & tumultu, placida ſectantem otia,
Fugientis ævi trahere relliquias breves.
Nimium ah! ferendo, magne Rex, didici hactenus,
Quid odia poſſint; lubrico quam ſtent loco,
Regnantum habenas quot quot attrectant manu.
Mea me pericla ſaltem, ut erudiant, ſine;
Doceantque miſeras fugere, quas ſubii, vices.

DARIUS.

Dediſce tandem quos tibi fingis metus.
Cuicumque ſummi robur aſpirat Dei;
Hominum tumultus ſpernere & triſtes minas,
Vel ſi movebunt bella, tranquillus poteſt.
Fruſtra ergo refugis: hic Deus, per quem ſalus
Recepta, cujus munere hanc lucem aſpicis,
Tuam viciſſim commodes, repetit manum;
Et, quæ voluto cœpta, conſiliis juves.

DANIEL.

Confulere per te cuncta novifti fatis,
Rex magne : neque te moneat ut quifquam,
indiges :
At noftra fi fors opera, quod pofcas, habet;
Certam probabis ufque Danielis fidem.

DARIUS.

Te Nate, pariter ifte fpectabit labor :
Attende docilis pauca, quæ fuadet Pater;
Altoque fige pectori, fi quid fapis.

ASTYAGES.

Crede obfequentem, Genitor, & quod vis jube.

DARIUS.

Quam tota Babylon, Nate, mox legem audiet,
Suum unde vero Numini cultum aftruam,
Tuum eft tueri deinde; nec quidquam pati,
Lex unde pereat, vel fuus legi vigor.
Quodcumque vitæ jam Patri reftat, breve eft.
Ætas labore fracta & annorum gravi
Onere fatifcens, Nate, me dudum admonet,
Inftare propius lucis extremum diem.

ASTYAGES.

Quid loqueris ? Omen, Genitor, ingratum
amove.

DARIUS.

Tibi sceptra, Nate, quando contigerint, Deum hunc
Hodierna cujus Numen asseruit dies,
Venerare; quamvis Satrapæ adversum fremant,
Et pertinaces patriis libent Deis;
Deus ille tibi sit potior; hunc cultu pio
Ubique populi vel reluctantes tremant.

ASTYAGES.

Confide, Genitor: Natus haud stimulis eget;
Exempla quem paterna sollicitant satis.

DARIUS.

Te, Nate, Daniel melius erudiet Patre.
Tibi sit parentis instar; hunc audi; hunc ama;
Huic cordis ultro pandere arcanos sinus
Ne pigeat unquam. Sana regnanti ingeret
Consilia: quid quid loquitur, hoc ipsum loqui
Cœlesti ab arce crede veracem Deum.

SCENA

SCENA QUINTA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS.

DARIUS.

Cur abſque Satrapis hic ades?

PHRAORTES.

Pœnas dedit

Uterque dignas ſcelere.

DANIEL.

Quid loquitur?

DARIUS.

Dedit

Uterque pœnas?

JOSEDECUS.

O Deus!

PHRAORTES,

Verum heu! nimis,

Rex magne!

DARIUS.

Nam quis facinus eſt auſus?

Pater,
Facinoris, ille quiſquis eſt, laudem feret.

DARIUS.

Phraorte, quo quo geſta ſit tandem modo,
Rem pande totam.

PHRAORTES.

Denſa dum populi manus
Facto obſtupeſcit: atque Danieli æquior,
Partæ ſalutis laudat auctorem Deum;
Rem Mithridates mente non placida tulit,
Fervens & ira Gazabar populum increpat,
Graveſque, ſi quid muſſitent, addit minas.
Hìc fremere plebs accenſa, denſari globus,
Factoque in ambos impetu immanem ad lacum
Pertrahere utrumque. Turbidus toto interim
Cœlo reſultat clamor, & trepidos ciet
Ab urbe cives. Satrapas fruſtra vocat
Hinc Mithridates; inde terribiles Deûm
Intentat iras Gazabar: populus ferox
Nil audit: animos ipſe nequidquam inſtiti
Mollire, denſamque, & manu & voce ad-
monens,

Penetrare turbam: clamor hic unus ſonat;
Aureſque vox hæc una cunctorum ferit.
Uterque pereat: patrii aut ſi quid Dei
Poſſunt, amicam utrique jam præſtent opem.
Nec plura: ab alto gurgite in præceps ruunt.
Avidis cadentem faucibus prædam occupant
Rabidi leones, nec pavimentum ſinunt
Venire ad imum corpora; elatos vorant
Artus per auras; nec prius ceſſat fames,
Abſumpta donec fruſta membrorum, intimæ
Condantur alvo.

JOSEDECUS.

Pœna conſequitur ſcelus!

PHRAORTES.

Animos repente tacitus invaſit ſtupor;
Mox plauſus ingens oritur, atque unum polo
Vulgi frementis turba, quod Daniel docet,
Ineſſe clamat Numen.

DANIEL.

O lætam nimis,
Ni fata luctu digna funeſtent diem!
Pœnam nocentum quolibet credam bene
Pretio redemptam!

ASTYAGES.

Nempe tam miſeras preces,
Hæc vota facias? Quam luunt, merito obtigit
Utrique pœna hæc; ultor Aſtyages foret,
Niſi occupaſſet ipſe vindictam Deus.

PHRAORTES.

En Satraparum lecta procedit cohors.

SCENA ULTIMA.

DARIUS, DANIEL, ASTYAGES, PHRAORTES, JOSEDECUS, SATRAPARUM TURBA.

DARIUS.

Adeſte, noſtri grande præſidium Imperî,
Dilecta, Satrapæ, capita; quis tandem polo
Terriſque ſummus imperet rerum arbiter,
Hodierna vidit pariter ac ſtupuit dies.
Deus hic piorum tutor ac cuſtos, lacu
Danielem ab imo ſervat, hic idem impios
Vindex ſeverus fraudis artifices premit.
Ergo quis illo potior, aut cujus meo
Veſtroque Numen dignius cultu putem?

Audite, Proceres, vosque, terrarum ultimas,
Excipite vocem, quot quot habitatis plagas:
Danielis unum novit ac metuit Deum
Darius; unum & tota, quam late patet,
Assyria metuat atque veneretur, jubet.
Tuque ô, perenne cujus imperium est, Deus;
Utrumque mundi qui latus nutu moves;
Populi piumque Regis obsequium, precor,
Et in omne tempus recipe juratam fidem.

Finis Actus quinti & ultimi